

Gavius hic quem dico, Consanus, cum in illo numero civium Romanorum ab isto in vincla conjectus esset et nescio qua ratione clam e lautumiis profugisset Messanamque venisset, qui tam prope jam Italiam et moenia Reginorum, civium Romanorum, videret et ex illo metu mortis ac tenebris quasi luce libertatis et odore aliquo legum recreatus revixisset, loqui Messanae et queri coepit se civem Romanum in vincla conjectum, sibi recta iter esse Romam, Verri se praesto advenienti futurum.

Non intellegebat miser nihil interesse utrum haec Messanae an apud istum in praetorio loqueretur ; nam, ut antea vos docui, hanc sibi iste urbem delegerat quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium consciam.

Itaque ad magistratum Mamertinum statim deducitur Gavius, eoque ipso die casu Messanam Verres venit. Res ad eum defertur, esse civem Romanum qui se Syracusis in lautumiis fuisse quereretur ; quem jam ingredientem in navem et Verri nimis atrociter minitantem ab se retractum esse et adservatum, ut ipse in eum statueret quod videretur.